

tur, sed vel occupatur, vel captivatur ab hostibus, qui est casus dicti cap. *Pastoralis*, vel destruitur, et ad tempus impeditur ne reaedificari possit, tunc enim quamdiu ex parte superioris seu domini manet spes et jus ac voluntas recuperandi vel reparandi illum, non potest censi simpliciter perditus, vel destructus, sed detentus, vel impeditus. Et ideo necessarium non est, ut regula data ad illum simpliciter applicetur, sed cum proportione.

6. *Quid dicendum, quando locus per hostes vel casu dirutus est cum spe refectionis.* — In illo ergo casu, quando locus per vim hostium vel casu dirutus est aut combustus, cum spe refectionis, distinguenda mihi videntur privilegia loci quæ ipsi solo sine pavimento concessa sunt, eique nude sumpto adherere possunt, ab his quæ directe respiciunt ædificium, ut templum, vel quid simile. Priora enim sine dubio permanent, quia eorum fundamentum non est destructum. Et tale est quod dicitur in dict. l. *De sacra*, quia consecratio aut benedictio solo adheret; et ideo privilegia quæ inde sequuntur, ut non esse locum venalem, non posse converti ad usus profanos, et si quæ sunt similia, semper permanent. De posterioribus vero subdistingendum est; nam quædam sunt privilegia quorum usus esse potest extra illum locum, alia quæ præcise requirunt ut intra talem locum vel templum aliquid fiat. Quæ sunt prioris modi non solum non amittuntur omnino, verum etiam nec suspenduntur pro illo tempore, quia per habitudinem ad locum manent in personis quæ habent specialem relationem, seu morale jus illius, et tunc maxime procedunt quæ dicti auctores dicunt, quod Episcopus vel canonicus talis loci retinet denominationem ab illo, et fruitur privilegiis sibi concessis ratione Episcopatus vel canonicatus talis loci, et similia. Quia ille locus non est fundamentum directum, ut sic dicam, illorum privilegiorum, sed tantum in obliquo, id est, ut terminus illius habitudinis: potest autem esse talis terminus, etiamsi non subsistat in re, sed in spe et jure, licet nunc sit occupatus ab hostibus vel hæreticis, etc. Privilegia vero quæ sunt posterioris modi, licet non amittantur omnino, pro illo tempore et statu cessant, et quasi suspenduntur. Sic dixi, in ult. sect. de Indulg., cessare indulgentiam templo concessam, si templum destruat; et eadem ratione cessabit immunitas loci si censeatur primario concessa ratione ædificii, non areæ.

7. *Privilegium restituitur restituto loco diruto, nisi dirutus fuerit eo instituto ab habente*

jus et potestatem diruendi. — Dixi autem non omnino amitti tunc privilegium, quando locus non est ex instituto dirutus ab habente jus et potestatem, quia quando aliter destruitur, permanere censeatur in jure et spe, et ideo si ad pristinum statum restituatur, privilegium etiam cum illo consurgit. Ad quod facit l. 36, ff. de Religios. et sumpt. fun., quæ sic habet: *Cum loca capta sunt ab hostibus, omnia deservunt religiosa vel sacra esse* (utique quoad usum, et quoad dicta privilegia pro illo tempore); *quod si ab hac calamitate fuerint liberata, quasi quodam postliminio reversa, pristino statui restituantur.* Et idem sumitur ex cap. *Quia monasterium*, de Relig. dom., et ex d. cap. *Pastoralis*, et dict. cap. *Quæ semel*. Ex quibus etiam sumitur ratio, quia in illis casibus semper mansit solum immobile, in quo tanquam in semine et fundamento conservari potuit privilegium veluti quoad proprietatem, ut postea posset quoad usum consurgere. Et ita, formaliter loquendo (ut sic dicam), verum est hæc privilegia perpetua seu realia eatenus durare, quatenus durat eorum fundamentum, vel hoc destructo cessare aut extinguere, si illud omnino extinctum censeatur; nunquam autem censeatur ita extinctum, nisi quando auctoritate illius qui potestatem habet extinctum est.

8. Atque hinc etiam fit ut, si Ecclesia in uno loco destruat, non ut destructa simpliciter maneat, sed ut in alium locum transferatur, non amittat privilegia, sed cum illa transferantur, quando non sunt concessa ratione situs, sed directe ipsi templo, et sub suo nomine. Tunc enim censeatur templum comparari personæ quæ secum defert privilegium personale; nam illa etiam Ecclesia una numero censeatur, ut communiter docent juris interpretes cum Glossa in dict. reg. *Privilegium*, Alex., Bald. et Felin., ubi supra, et Anton., 1 part., tit. 19, cap. 1, § 2. Quid autem dicendum sit quando unus locus vel Ecclesia alteri unitur, vide apud Gloss., Host. et Panorm. in c. 1, Ne sed. vacan.

CAPUT VI.

DE QUATUOR ALIIS PRIVILEGIORUM DIVISIONIBUS.

1. *Privilegium aliud ob bonum privatam; aliud ob bonum commune.* — Ultra partitiones prædictas, sunt aliæ quæ, licet brevius expediri possint, necessariam doctrinam continent. Quinta ergo divisio privilegii esse po-

test in illud, quod per se primo datur propter privatam bonum, scilicet, alicujus personæ, vel intuitu boni communis. Circa quam divisionem ante omnia oportet terminos explicare, distinguendo materiam privilegii a fine privilegii, et intelligendo distinctionem de materia, non de fine. Omne enim privilegium ordinari potest et debet ad commune bonum tanquam ad finem, ut sæpe in superioribus dictum est, quia hoc spectat ad justitiam ejus; bono enim communi expedit ut privata privilegia dignis vel indigentibus conferantur. Item quia privilegium, licet uni vel alteri concedatur ut favorem continet, tamen, ut continet præceptum et habet rationem legis, obligat communitatem respectu privilegiati, utique ad servandum illi privilegium, quatenus hoc ad alios spectare potest; ergo sub hac ratione respicere aliquo modo debet commune bonum. Tamen in materia privilegii, ut favorem concedit, potest esse differentia: nam materia privilegii, seu finis proximus ejus est commodum illud quod præbet privilegiato. Hoc ergo commodum interduum est privatae et singularis personæ; vel si ad plures extenditur, unamquamque per se respicit ut privatam personam, et non tantum ut partem alicujus communitatis, et tunc dicitur dari propter privatam bonum singulorum. Aliquando vero privilegium per se primo respicit bonum alicujus communitatis, et ideo dicitur per se primo respicere commune bonum. Neque hoc excedit naturam privilegii, quæ lex privata est, nam semper illa communitas cui datur tale privilegium, consideratur ut pars quædam totius reipublicæ, et jus illi concessum censeatur speciale, et non commune, ideoque per privilegium concedi potest.

2. Sic ergo explicata divisio recte constituitur. Nam vere dantur illa duo membra: privata enim privilegia frequentissima sunt, et communia etiam sunt in usu; nam immunitas clericorum commune privilegium est; item privilegium canonis et fori, et similia; et ex prædicta diversitate nascuntur diversi effectus morales, et ideo merito datur distinctio. Quam attigit Glossa in cap. *Si dilectum*, de Foro compet., et in leg. *Jus publicum*, ff. de Pactis, et in Auth. Ut sine prohibitione matres, etc., verb. *Senatusconsultum*; estque solemne discrimen inter illa membra, quod priori speciali privilegio potest renunciare privata persona, in cujus gratiam concessum est; non autem posteriori. Prior pars expressa est in multis juribus, c. *Ad Apostolicam*, de Regularib.,

cap. *Si de terra*, de Privil., leg. *Si quis*, c. de Pactis. Posterior etiam probatur in d. cap. *Si diligenti*, et cap. *Contingit*, de Sentent. excomm., et in leg. *Jus publicum*, ff. de Pactis, ubi Jason late rem explicat et limitationes adducit. Ratio vero est, quia privatam jus et commodum est sub dominio uniuscujusque, et ideo potest illi cedere, per se loquendo, bonum autem commune non ita pendet ex uniuscujusque voluntate. Atque ita hæc doctrina communis est, quam locupletant Panorm. in dicto cap. *Si diligenti*, n. 7, et latius ibi Felinus per totum, et ibi alii, et in dicta leg. *Si quis*, ubi præsertim Bartolus, Baldus et Jason.

3. *Non potest quis renunciare privilegio dato ob bonum commune, nisi posset separari suum bonum a communi.* — Et quidem, quoad posterius membrum, fere non recipit illa regula limitationem, sed ampliationem, propter excellentiam boni communis; ideoque, licet tale privilegium redundet in commodum privatam, non potest quis illi commodo renunciare, ne præjudicet bono communi. Quod procedit quando unum non est separabile ab alio, nam si quis posset privare se suo commodo sine præjudicio boni communis, tunc fieri posset, quia cessat impedimentum. Colligi potest ex leg. *Si judea*, ff. de Minorib. Censeatur autem pertinere ad commune bonum, non solum id quod respicit temporalem utilitatem, sed etiam quod pertinet ad bonos mores, et ad convenientem modum operandi, qualis est ut actus cum perfecta libertate fiant. Et ideo addunt prædicti auctores, si ex renuntiatione privilegii sequitur occasio aliqua pervertendi bonos mores, non posse renunciari. Idem est si privilegium sit datum propter imperfectionem judicii, vel libertatis, ut est de professione ante legitimam ætatem facta, quod non solum nulla sit, verum etiam nullam obligationem inducat, et similia, de quibus videri possunt Gloss. et doctores in dicta l. *Si judea*, et super alia jura citata.

4. *Quando non habet locum renuntiationis privilegii ob bonum particulare concessum.* — Circa aliud autem membrum limitationes adhibentur. Nam si privilegium concessum in privatam commodum unius personæ respicit etiam commodum alterius, et unum ab altero non est separabile, non potest unus eorum renunciare juri suo sine consensu alterius, ut uxor cui datur privilegium Velleianum ne obligetur fidejussione, non potest illi renunciare, saltem sine consensu mariti. Idem est si privilegium cedens in commodum unius sit princi-

paliter introductum in odium alterius, seu in vindicationem delicti; tunc enim non habet locum renuntiatio, ut dicti auctores aiunt, quia non potest privatus impedire principalem finem legis: unde hoc videtur reduci ad prius membrum de bono communi. Cætera de hac renuntiatione videri possunt in dictis auctoribus. Unum vero adnotabo traditum a Bartol., Panormitan. et aliis, dicentibus, posse hominem renuntiare juri gentium, ut dominio rei suæ quod jure gentium introductum est, non tamen juri naturali, quia immutabile est. Hoc autem non probo, quia, si loquantur de jure, prout significat legem obligantem, sic nullus potest renuntiare juri gentium magis quam naturali, quia, licet jus gentium non sit ita immutabile, nihilominus respectu privatorum dici potest æque immutabile, quia non magis potest quis privata auctoritate mutare jus gentium quam naturale. Si autem loquantur de jure, ut dicit dominium seu facultatem utendi, sicut potest homo renuntiare alicui juri acquisito per jus gentium, ita potest renuntiare juri a natura dato, sicut renuntiat homo libertati suæ, quæ de jure naturæ est. Quæ constat ex supra tractatis de illis juribus gentium et naturali, et ideo de utroque magis videtur probanda distinctio Glossæ in dicta authent. Ut sine prohib. mat., etc., quod juri præcipienti renuntiare nemo potest; juri autem permittenti unusquisque potest per se loquendo; et sub jure permittente comprehendendo quidquid per hæc jura ita conceditur, ut retineri aut conservari non præcipiatur.

5. *Privilegium aliud favorabile, odiosum aliud, quod, scilicet, ut alteri est favori, est alteri incommodo.*—Sexto, dividi potest privilegium in favorabile et odiosum. Quæ divisio videtur, prima facie, contra communem rationem privilegii; nam diximus supra de ratione privilegii esse ut speciale illud jus quod concedit, ad favorem spectet, et non ad odium; quomodo ergo potest privilegium in favorabile et odiosum distinguere? Sed hoc expedietur facile, si advertamus relationes specie contrarias, ut æquale et inæquale, respectu diversorum non esse oppositas. Sic ergo privilegium, si consideretur respectu ejus cui conceditur, favorem continet, et hoc modo supra locuti sumus; respectu vero alterius tertii potest juri illius præjudicare, et sic esse odiosum. Igitur sensus divisionis est, privilegium quoddam esse favorabile, id est, pure favorabile, quia ita uni prodest ut nemini noceat; aliud vero dici odiosum, quatenus ex favore uni concesso, al-

teri sequitur incommodum. Et ita exponitur divisio a Bald. in leg. ff. de Constit. princip., n. 8, et sumitur ex Panormitan. in cap. *Quia*, de Privileg., et cap. *Olim*, de Verb. signif., et multis quos refert Tiraq. de utroque retract., in præfat., n. 62. Maxime vero privilegia ad lites solent odiosa vocari, quia favor concessus actori, verbi gratia, premit reum, vel dimittit judicis potestatem, et præsertim augetur odium, quando videtur privilegium coarctare jus naturale, ut cum datur, verbi gratia, cum clausula de *appellatione remota*, vel alia simili. Item beneficium ambitiosum, quale reputatur beneficiale, odiosum censetur a Gloss. in c. *Quoniam*, de Præb., n. 6, et a Pau., supra; tale etiam judicatur privilegium decimarum vel primogenituræ, licet de hoc ultimo res sit dubia. De quo videri potest Tiraq. de Primog., q. 4; et Sarmi., l. 1 Select., c. 12.

6. Dices: ergo erit privilegium, licet odiosum, dispositio gravans aliquos, quando illud gravamen cedit in favorem aliorum, ut statutum excludens ducentes originem ex Hebræis ab aliqua Ecclesia, dicitur privilegium illius Ecclesiæ, quia cedit in honorem ejus; nam licet exclusus sit onerosus, non ideo non erit privilegium, sed erit odiosum. Respondeo in hoc posse esse quæstionem de nomine; tamen, si proprie loquamur, illud ex vi materiæ non est privilegium, sed statutum odiosum constituens quamdam irregularitatem vel inhabilitatem, quia ratio dispositionis ex fine primario et quasi intrinseco sumenda est, et inde accipit quasi speciem et nomen, et ideo non est proprie privilegium, quia, ut supra dixi, privilegium per se dat favorem, unde non denominatur odiosum, nisi ex effectu per accidens resultante, qui debet supponere favorem. Fateor tamen illud statutum posse dici honorarium et favorabile tali Ecclesiæ, quasi per resultantiam, et fortasse ex intentione operantis.

7. *Difficultas.*—Tunc vero insurgit contra divisionem altera objectio per contrarium extremum, quia in hoc sensu nullum est privilegium favorabile; nam, eo ipso quod nemini præjudicat, etiamsi beneficium conferat, desinit esse privilegium, et manet in communi ratione beneficii, ut testatur Sylvest., verb. *Privilegium*, in principio; et ibid. Angel. et Tabiens., n. 4, qui in hoc secuti sunt Panorm. in c. *Olim*, de Verb. signif. in fine. Sed respondemus negando assumptum: sicut enim supra diximus esse posse verum privilegium, scilicet, si juri communi non deroget, ita nunc dicimus non esse de ratione privilegii ut alicui

præjudicet; satis enim est ut alicui favorem extraordinarium conferat. Nam, licet hoc videatur pertinere ad modum loquendi, tamen ad intelligenda jura et interpretanda privilegia potest conferre, ut postea videbimus. Quod autem id non sit de ratione privilegii, patet, quia nullo jure probatur. Sed potius indicant jura privilegium esse intelligendum sine præjudicio tertii, quoad fieri possit, quando aliud in ipso privilegio non exprimitur, c. *Quamvis*, de Rescript., in 6.

8. Neque etiam id colligitur ex definitione privilegii communiter recepta, nec ex juribus ex quibus illam sumpsimus. Nec etiam ex communi modo loquendi; quin potius multa indulta quæ favorem unius sine aliorum præjudicio continent, communiter vocantur privilegia; ut facultas audiendi Missam tempore interdicti, comedendi lacticinia in tempore quadragesimæ, laborandi aut piscandi in die festo. Interdum etiam privilegium est reciprocum, et commune illi cui posset nocere, et ideo non potest diei nocivum alicui, ut privilegium feriandi in litibus temporibus lege præfinitis, vel faciendi testamentum sine juris solemnitate, et multa sunt privilegia quæ secundum jus commune intelliguntur, ne alteri noceant, ut late prosequitur Felin. in capit. 1 de Constitution., n. 4 et 9. Potest ergo inveniri privilegium, nullum aliis afferens præjudicium, et hoc est maxime favorabile privilegium. Et ita subsistit divisio qua postea sæpius utemur circa interpretationem privilegii, et inde magis constabit differentia inter membra prædicta.

9. *De privilegio affirmativo et negativo.*—Septima divisio esse potest privilegii in affirmativum et negativum, quæ minoris quidem momenti est, non est tamen omittenda propter verborum usum. Dicitur enim affirmativum privilegium quod concedit facultatem agendi; negativum vero quod dat licentiam aliquid omittendi, sicut alibi distinximus votum in affirmativum et negativum. Nam, licet obligatio voti semper positiva sit, nihilominus ex parte materiæ unum dicitur affirmativum, et aliud negativum; sic ergo omne privilegium positive (ut sic dicam) concedit favorem, tamen interdum est ad usum negativum, interdum ad affirmativum, et ideo duplicem illam denominationem recipit, ad instar etiam legis seu præcepti, quod eodem modo dividitur, et cum proportionem explicanda est hæc partitio. Duplex autem differentia potest notari inter illa duo membra: una est, quod pri-

villegium negativum semper est contra legem, affirmativum autem non semper, sed interdum est contra, interdum ultra seu præter legem, ut supra de privilegio in genere dictum est. Et quando utrumque est contra legem, etiam differunt, quia privilegium negativum est contra præceptum affirmativum, privilegium autem positivum est contra negativum præceptum.

10. *Privilegium negativum perdi non potest per non usum; posse affirmativum sentiunt multi.*—Ratio utriusque partis est, quia ad omittendum id quod non est præceptum, non est necessarium privilegium, quia, ad non operandum, absolute non est necessaria specialis potestas, sed voluntas sufficit, quia sermo est de omissionibus liberis; nec etiam ad omittendum licite ea quæ præcepta non sunt, est necessaria specialis indulgentia, quia ipsa carentia legis præcipientis actum est sufficiens indulgentia: ergo tale privilegium necessario supponit affirmativum præceptum; sub præcepto autem comprehendendo quamcumque regulam quocumque modo obligantem, vel dirigentem, ut cum proportionem illi respondeat privilegium seu licentia. Comprehendo etiam præceptum non solum certum, sed etiam dubium, vel ita intellectum ut possit scrupulos generare, ut complectat etiam privilegia quæ ad tollendos scrupulos vel pacandas conscientias conceduntur; nam hæc etiam negativa esse solent, ut constat. At vero actio positiva aliquando absolute non est in hominis facultate, quia illam valide facere non potest, neque licite, neque illicite, ut sacerdos simplex non potest absolvere sine jurisdictione, nec Presbyter non Episcopus potest confirmare; aliquando vero, licet actio quoad substantiam sit in hominis facultate, non est illi licita, quod solum contingit quando est prohibita. Hinc ergo fit ut privilegium positivum, quod facultatem aliquam moralem ad agendum concedit, interdum det facultatem licite operandi, et tunc fit contrarium affirmativo præcepto; aliquando vero dat absolutam facultatem operandi, et tunc esse posset sine derogatione alicujus præcepti per solam concessionem novæ facultatis, quam nullum præceptum prohibet. Et hinc sequitur altera differentia, quia privilegium negativum perdi non potest per omissionem, seu per non usum, quia ejus usus in omissionem consistit, et ideo qui omittit jam utitur privilegio, et ita ex vi omissionis non amittit illud: de affirmativo vero multi sentiunt posse amitti per non usum. Sed quia